

post liminio retractos arctius custodit, nec gratia dignatur. Videat ergo quisque, ut carcerem, quem evasit, tam fortibus repagulis sibimet occludat, ut nec si velit quidem (appetitu sensitivo) reverti in eum possit, prohibente hoc voluntatis firmissimo et inviolabili decreto. Ad extremum audiamus divinum Chrysostomum, serm. de lapsu primi hominis, tom. I. ita scribentem: *Noli, inquit peccare post veniam: noli vulnerari post curam: noli sordidari post gratiam.* Moxque singulorum rationem reddens addit: « Cogita o homo graviolem culpam esse post veniam, renovatum vulnus pejus dolore post curam, molestius hominem sordidari post gratiam. Quare indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat: sanitate indignus est, qui semetipsum, postquam curatus est, vulnerat: nec mundari meretur, qui seipsum post gratiam sordidat. Porro qui post absolutionem non peccat, meretur et præmium: qui post curam cautus est, sanctitatis possidet donum: qui gratiam illæsam tenuerit, æternitatis accipiet regnum. »

CONCIO III.

RESURRECTIO MORTUORUM OSTENDITUR.

I. Ex resurrectione Christi. — II. Ex naturali propensione animæ ad corpus suum. — III. Ex cooperatione corporis cum anima. — IV. Ab exemplis. — V. Ex miraculis.

THEMA.

Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni.
Luc. XXIV.

Libro I. Esdræ, c. III. scribitur, quod cum reversi e captivitate Babylonica Judæi templum Salomonis destructum reedificassent, et jam oculis aspicerent, tanta fuerit omnium lætitia et jubilus, ut præ clamore exultantium voces eorum intelligi non possent. *Nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium,* ait sacer textus. Video etiam hodie insolito gaudio et jubilo Christianos undique perfusos, quasi nunquam alias toto anno; unde passim alter felix pascha precatur. Verum et hic ego non agnosco satis vocem lætantium et quid sibi velit quod omnes adeo jubilent. Forsan lætantur aliqui, quod jejunii tempore superato carniæ esus restitutus sit. At hoc Epicureum est. Forsan alii, quia jucundum veris tempus post tristem hiemem rediit. At hoc puerile est. Forsan etiam aliqui, quod asperum penitentiæ tempus transierint, et jam rursus usque ad sequens pascha

liberius vivere liceat. At hoc plane impium est. Alii forte sanius, quod hodie templum corporis Christi reedificatum sit, et quidem in splendidiorem formam, quam erat prius, quemadmodum et Judæi, gavisii fuere. Et hi quidem bene ac jure merito. Veram si Christus sibi soli resurrexit, quid inde nobis accedit? Itaque hæc potissima ac fere unica hujus diei lætitia est, quod sua resurrectione Christus nostram stabiliverit. Hoc sensu intelligere possumus, quod nuntiavit heri angelus: *Deite discipulis, quia præcedet vos in Galilæam,* (id est, revelationem, vel transmigrationem ut exponit Sanctus Augustinus, l. III. de consensu evang.) cœlestis beatitudinis, et vos brevi eum sequemini: sed forte hoc gaudium nostrum turbabit hæc cogitatio, quomodo fieri queat, ut nos resurgamus. Ergo audiamus testimonia, omni fide dignissima.

I. Probavit ex resurrectione Christi. Hinc et nostram probat Paulus, I. Cor. XV. Primaria enim causa, cur ad nos redimendos mortem optetere voluerit, est, ut resurgere posset adeoque sua resurrectione nostram comprobare. Alioquin sanius et facilius mortem cavisset. Neque dicas difficiliorem esse nostram, quam Christi resurrectionem, quod ejus corpus integrum manserit, nostrum dissolvatur. Nam licet integrum manserit, sanguis tamen effusus et intra illud triduum jam corruptus atque in alia corpora mutatus fuit. Idem tamen omnino et non alius iterum reparatus et Christo restitutus fuit, ut idem præmiaretur, qui in Christo passus fuit: *Neque recte resurrectio dici potest, ubi non resurgit, quod cecidit,* ait S. Gregorius, XIV. mor. c. XVII. Ad hæc nonne Lazarum jam quatrinduo sepultum et fœtentem mox restituit vitæ? Neque debuit Adam potentior fuisse ad nos protendendos et mortificandos, quam Christus ad erigendos et vivificandos, quia donum Christi est majus, quam nocumentum Adæ ut patet ad Rom. V. *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Sed peccatum Adæ nos omnes occidit, gratia igitur Christi omnes suscitabit.

Ad hæc membra debent esse conformia capiti, caput autem nostrum Christus resurrexit et vivit: ergo vivent et membra. Denique cur cum resurgente Christo multi mortui resurrexerunt, nisi ut primitias resurrectionis nobis afferrent, velut Josue cum adjunctis legatis botrum, ficus, malogranata, terræ sanctæ indicia? Si potuerunt illi resurgere, cur non et nos omnes?

II. Ex naturali propensione animæ ad suum corpus Christus convicturus Sadducæos, negantes resurrectionem, hoc argumento utitur, quod dicat Deus: *Ego sum Deus Abraham, Isac*

et Jacob, Matt. XXII. Cum enim Sadducæi ideo tantum negarent resurrectionem, quia negabant animæ immortalitatem: qua posita necessario sequeretur illa: Christus solum probat animas post mortem hominis vivere; quo dato jam probavit illis et necessitatem resurgendi. Quia enim a Deo sunt omnes etiam creaturarum naturales propensiones, uti propensio felis ad capiendos mures, canis ad lepores; adeoque non sunt frustra; anima autem naturaliter propendet ad unionem cum corpore velut sua comparte; inde probatum est corpus resurgiturum. Debetur enim homini suum corpus, sicut equi in militia debetur suus equus: sicut testudini sua testa, cui naturaliter affixa est. Alioquin ille eques, hæc testudo non esset.

Ex eodem fundamento etiam Paulus argumentatur, I. Corint. XV. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus miserabiliores sumus omnibus hominibus;* si nimirum non sit resurrectio. Objicies apostolo: posse saltem anima ob benefacta præmiari. Sed respondeo hoc pacto dicendum fore, quod Christus non perfecte vicisset mortem, quæ dominaretur adhuc saltem corpori. Deinde violentum et contra naturam animæ est vivere semper extra corpus, unde nemo id sibi persuadebat aut metuebat futurum. Quare resurrectio quoad substantiam ut humanæ naturæ exigentiam quasi naturalis est, licet in mundo et executione supernaturalis sit. Modus autem ille quomodo non possibilis est? Primo, quia Deus, quod difficilius est, e nihilo fecit omnia; facilius igitur ipsi ex uno aliud facere. Hinc Jerem. XVIII. cum figulus vas dissolvisset in argillam, mox fecit illud vas alterum; tum Dominus: *Numquid sicut figulus iste non potero vobis facere domus Israel?* In resurrectione nimirum, ut exponit S. Hilarius, in Ps. II. Fecit illud, non ex alio, vas alterum: *Non ut interitu naturam perimat, sed qualitatis conditionem demutat,* ait Hilarius ibi; ut scilicet fiat vas pulchrum sicut placet Deo. Filius ille est, qui idcirco de limo fecit hominem, ut sciremus, quod cum pari facilitate restaurare per resurrectionem queat. Secundo, nonne virgam Moysis mutavit in serpentem, et rursus e serpente in eandem virgam, quæ prius fuit? Exod. VII.

III. Ex cooperatione corporis cum anima. Qua de re S. Paulus, I. Cor. XV. ait: *Si ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?* Quasi dicat, quid prodest laborare pro virtute, si merces resurrectionis corpori laboranti non datur? Unde Chrys. in Matth. c. XXII. ait: *In omni re aut actu virtutis agenda, spes est futuri: qui enim arat, arat ut metat:*

qui pugnat, pugnat ut vincat. Et mox: *Tolle ergo spem resurrectionis, et resoluta est observantia omnis pietatis.* Quæ enim foret justitia, si unus laboraret, alius vero laboris præmium acciperet? Nonne fuci expelluntur ab apibus, quia mel comedere volunt, quod non confecerunt? De Isabella Augusta et Hispaniæ regina Caroli V. imp. conjuge refert Andreas Schortus, in vita S. Borgiæ, quod cum defunctæ funus in regium sepulcrum Illiberim delatum esset, ibidem moro majorum sepeliendum: prius, Illiberitani, advocato publico notario, corpus detegi et inspicere curiose, ne qua fraus subesset, curaverunt, licet adessent viri principes, qui id comitati fuerant cum regiis litteris: posteaque primum, ubi vere corpus Isabellæ deprehensum fuit, sepulturæ mandarunt, l. I. in vita Borgiæ, c. VII. Quod si in regium sepulcrum non infertur funus, nisi constet regii sanguinis esse; quanto minus Deus permittit, ut alius cœlo inferatur, qui non laboravit, pro eo, qui cœlum labore emit? Hinc, Ps. XXIII. ipsemet Christus Dominus ascendens in cœlum, inducitur ad ingressum ejus prius semel iterumque pulsans: *Attollite portas principes vestras, et introibit Rex gloriæ;* mox ab angelis interrogatus: *Quis est iste Rex gloriæ?* Ac licet ipse responderet: *Dominus fortis et potens in prælio:* qui scilicet vicit principem tenebrarum sua passione; nihilominus iterum illi interrogans secundo instantem: *Attollite portas, etc. quis est iste Rex gloriæ?* Cumque demum respondisset: *Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ,* tunc ei reserarunt portas. Quare nemo in cœlum admittitur, nisi sit homo virtutum, quas ipse sibi compararit. Sicut non alia, sed eadem lingua epulonis, qua peccaverat, plectetur in inferno.

IV. Declaretur exemplis alibi adductis, quibus adde hydrargyrum seu argentum vivum. Hoc enim si manu deducas (ut experientia constat) in minutissimas arenulas et quasi atomos, ita ut in pulvisculos evanescere videatur: mox ut eos rursus manu associas et conjungis, in pristinam hydrargyri formam confluendo redeunt et quasi reviviscunt, ut notavit Gabr. Fallopius medicus Mutinensis, et olim S. Gregorius Nyssenus, lib. de creat. hominis, c. XXVIII. Alphora primum vermis est, post in piscem transit; rursus tabe consumptus extra aquam ut omnis caro ab ossibus defluat, si in aquam remittatur, iterum carne vestitur ut prius renascitur quasi, fitque longe vivacior, quam si corruptus non fuisset, Alb. M. de animal. lib. XXIV. in alphora. In Chora unica reperitur palma, quæ emoriatur et renascitur ex seipsa; unde et phœnicis avis, cui hoc fabulæ tribuunt, nomen habet, teste Plinio,

lib. XIII. c. IV. Rursum ex abietis ligno in marinis aquis putrescente progigni aves, quæ barliathes, vulgo herneceæ, vocantur, certum est eorum, qui viderunt, testimonio, testaturque Gesnerus et alii, sic ex putri et corrupta materia renascentur corpora nostra. Denique per visionem hoc ostensum Ezechiel, c. XXXVII. in suscitatione ossium mortuorum; ad demonstrandum secundum litteram quidem, tali modo eruos e captivitate et restituendos in patriam Judæos: secundum anagogen vero, sic e sepulcris resurrectura et compaginanda mortuorum ossa. Neque refert quod partes humanorum corporum prorsus resolutæ, et in alia corpora mutata sint, eas enim inde rursus educere, et in pristinam formam mutare non est difficilius Deo quam erat nature, ea per corruptionem et generationem in alia mutare. Sic coierunt in unum membra S. Stanislai episcopi et mart. dissecta in minutas 72. partes ab impio Boleslao, tam integre, ac si nunquam divulsa fuissent, cumque digitus adhuc unus desideraretur, lucerna cælestis eum in piscinam conjectum et a pisece devoratum ostendit: quare capto pisece inventus et extractus, corpori restitutus fuit. Ut in ejus vita. Ita verificatum id. Ps. XXXIII. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non contretur.* Quin et Petrum ex Petravino pago dudum mortuum ac sepultum idem sanctus suscitavit, ac secum ad testandum Boleslao adduxit. Sicut ergo Jonas in ventre ceti incolumis mansit: sic corpora mortuorum in terra conservantur Deo.

V. Ex miraculis. E quibus id stupendum, passim tamen notum peregrinis S. Jacobi, quod scribit Lucius Marivæus Siculus, lib. V. rer. Hispan. de juvene, qui cum parentibus Compostellam purgens in civitate S. Dominici Calciatensis divertens, a filia hospitis ad stuprum frustra pellectus, ideoque nequiter circumventus fuit, ita ut ipsa abeunti craterem patris sui clam in cucullum ejus injiceret. Post ejus discessum, furti reum agit apud prætorem. Prætor reductum accersit et puella craterem mox e cucullo ejus extraxit. Adolescens ergo suspensio addictus est. Parentes mæsti ad S. Jacobum pergunt, et redeuntibus per eandem viam mater divertit, etsi reclamante viro, ad patibulum, ubi filius suspensus fuit. Accedenti filius acclamat se salvum et vivum precibus S. Jacobi, velut innocentem: iret igitur ad prætorem, dum is in mensa gallum et gallinam assam coram se appositam habet, assereret filium vivere, orans ut juberet illum proinde solvi. Prætor: *Falleris, bona mulier, ait, filius tuus vivit hæc sicut aves.* Mox utraque avis rediviva exurgit, et in mensa graditur, gallus insuper cantat, ambo candidis-

simi coloris Prætor mox clerum convocat et pendulum vivum reperit, solutumque parentibus restituit. Tum gallus et gallina in locum templi vicinum cum solemnitate deportati, ubi septennio vivere et pullum ac pullam similis coloris reliquere. Sicque singulis septenniis idem fit a sobole. Quodque mirum, cum perpetuo illic transeant peregrini, et pennas illis deficiunt, additque auctor, se ejusmodi pennas secum habere.

Sed habito jam quod resurgemus, quid præterea erit nobis? Num ad similem vitam, qualem nunc gerimus, resurgemus? Minime gentium, sed ad felicissimam aliam, qualem secum attulit Christus, exemplar resurrectionis nostræ, juxta id ad Philip. III. *Salvatorem expectamus D. N. Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Et primo, resurgemus omnes juvenes juxta ætatem Christi, speciosi, sani, vegeti, sole splendidiore, ferro robustiores, vento agiliores, radiis solis subtiliores: quemadmodum et Christus. Ad hæc speciosi supra solem et lunam, vestitu elegantissimo, non qualis hic tanta sollicitudine emendicatur e pellibus animalium, aut bombicum textura, et terræ glebis. Secundo, nunquam morituri, nunquam ærotaturi, nihil passuri, quemadmodum et Christus. Tertio, liberi ab omni onere, subjectione, pressura, plaga, quemadmodum et Christus. Quarto, statim ibi futuri, ubi esse voluerimus, quemadmodum et Christus. Quinto, cum amicis solis, sinceris et bonis, semper versaturi, quemadmodum et Christus. Sexto, habituri quidquid volumus, quemadmodum et Christus post resurrectionem paravit suis maximam piscium capturam, piscem assum et panem. Omnia nobis subjecta erunt, omnes erimus principes, omnibus rebus dominantes. Septimo, semper læti et jucundi, quemadmodum et Christus a sua resurrectione nunquam amplius contristatus fuit. Octavo, ascensuri cum gloria ad æternam felicitatem, perpetuam lætitiæ, rerum omnium affluentiam, quemadmodum et Christus. Hinc miratur S. Chrysostomus in cit. apostoli locum: *«Pape! Illine, qui ad dextram Patris sedet, conforme fiet hoc corpus? Illi, qui adoratur ab angelis! Illi, cui adstant incorporales illæ virtutes! Illi qui est super omnem principatum, potestatem et virtutes, illi conforme fiet. Si ergo totus orbis lacrymis sumptis eos defleat, qui ab ista spe deciderunt, num digne collacrymaretur? Quod cum promissio nobis facta sit, corpus nostrum futurum, ita glorioso Christi corpori conforme, illi cum dæmonibus abeant.»*

Hæc ergo cum ita sint, quis jam in Dei gratia

stans mori trepidabit? Imo quis non desiderabit? Audiamus S. Hilarium, in Ps. II. *«Confringi nos tamquam vas figuli tunc gaudeamus, ut per hunc novæ nativitatis profectum, in beatam illam ac Deo placentem iteratæ reparationis nostræ speciem reformemur.»* Quemadmodum ergo agricolæ, dum arant et seminant, solent cantare; quia sperant se projectum semen cum fœnore recepturos: ita et nos mortem hilariter excipere, imo exoptare decet, veluti sementem messis incomparabilis. Ea seminantis similitudine solabatur se in martyrio S. Jonas Persa cum fratre Barachisio; cumque magorum principes digitos manuum et pedum ei præcidi et ante oculos jactari fecissent, dicentes: *«Ecce nunc digitos tuos in terra seminavimus, expecta inde, ut messis tempore multos digitos recipias,»* respondit: *«Ego multitudine digitorum non egeo, sed Deus, qui me formavit, ille tempore judicii corpus hoc reformabit,»* Lipel. 29. martii, ex Isaia equite Saborii regis Persarum, auctore et spectatore.

Rursum ne doleamus mortem charissimorum: *Sicut et cæteri, qui spem non habent,* ut ait apostolus, I. Thess. IV. quia suo tempore iterum eos videbimus. Priscus Christianorum mos fuit teste eard, Baron. in martyrologio, 21. juli insculpendi in sepulcris, figuram Danielis stantis in lacu inter leones incolumis: ut indicarent Christianos in sepulero etiam inter vermes non absumi a morte, utpote cui jam Christus dentes excuserit: *Ero mors tua o mors, etc.* Itaque dicat quisque suis morientibus, quod Christus ad mortem pergens dixit suis discipulis: *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum,* Joan. XVI.

Hoc est gaudium nostrum hoc die, quod ego vobis annuntiare volui. Quare dicamus cum Ecclesia: Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea: præcedentem enim Christum sequemur in Galilæam. Ibi eum vidimus.

CONCIO IV.

S. EUCHARISTIA OVUM CÆRULEUM.

I. Est cibus saluberrimus, purissimus. — II. Verbo Christi fit ex pane corpus Domini. — III. Habet in una specie vim cibi et potus. — IV. Est cibus nutritivus et substantiosus. — V. Est vita bonis, mors malis. — VI. Est quorundam unicus cibus.

THEMA.

Accepit panem et benedixit ac fregit, et porrigebat illis. Luc. XXIV.

Iterum paschale ovum attulit nobis Christus

hodie, et quidem cæruleum de cælo ad nos lapsum. Quodnam vero illud? Sacratissima eucharistia, quam juxta communiorem et probabilior sententiam hodie prima vice porrexit iis, qui non erant sacerdotes. Cæruleum hæc appello, quia est panis de cælo descendentis: corpus Christi cæleste glorificatum, quod etiam digne sumentes facit cælestes: sicut enim corpus Christi sumptum fecit, ut hi duo discipuli mox regrederentur in Jerusalem: ita et nos impellit ad cælum, et facit cælestes. Porro quam cum ovo habeat conformitatem, nunc exponemus.

I. Ovum continet cibum saluberrimum, purissimum: sed absconsum intra album corticem. Eucharistia cibus animæ saluberrimus, purissimus est, maximique nutrimenti, quia caro Christi virginea et vivificans, quæ vel solo tactu omnis generis morbos pepulit: absconsa tamen et tecta, candida panis specie. Et hoc in bonum nostrum. Primo, ne horrorem aliquem in communionem caperemus, si visibiliter appareret: qua ratione etiam medici pilulas et alia pharmaca, quæ aspectu suo horrorem aliquem parere possent ægro, auro vel saccharo obducunt, ut absque nausea sumi queant.

Secundum, ut meritum fidei locum haberet. Si enim longe majori fructu sumimus manna hoc absconditum, quam Judæi illud in deserto visibile: quamquam et illud nocte semper delapsum fuit in terram, ut nescirent, quomodo et unde veniret; ideo enim clamabant: *Manna, quid est hoc?* q. d. nescimus quid sit et unde proveniat; ad designandam multo majorem nostram fidem, quam Deus a nobis requirit, ut majus meritum habeamus, qui magis glorificamus Dei potentiam, majora omnipotentis, sapientiæ, bonitatis, opera ei tribuendo. Qua de causa Sanctus Ludovicus rex Franciæ Christum in eucharistia visibiliter apparentem videre renuit, ne meritum fidei perderet. Tertio, ut sit probatio et coricula fidei nostræ. Hac de causa appellatur ab Ecclesia mysterium fidei, quasi abditissimum arcanum, in quo velut in lapide Lydio probatur fides vera, et deprehenditur ficta. Aquila examinat pullos suos ad aspectum solis, et qui non recia atque immoti solea intuentur, sed deflectunt obtutum, eos ab ungue dimittit, cadere et perire sinit: Christus in hoc eucharistiæ mysterio credendo fidem nostram trutinat, et quantum de ejus potentia ac veracitate estimationem habemus, experitur. Credentes, velut digne de sua divinitate sentientes, suscipit tamquam suos, incredulos vero abjicit, sicut spurios et degeneres.

II. Ex ovo intra paucos dies, incubante solum

gallina, fit pullus, vivens ex non vivente. Quin et apud Ægyptios in fornace, subjecto temperato igne, plurima simul ova intra paucos dies animantur, et excluduntur pulli, teste Plinio, lib. X. c. LV. Scaligero, exerc. VI. c. II. Paulo Jovio, lib. XVIII. histor. aliisque certissimis testibus. Quod si igitur gallina solo incubatu, si ignis temperatus hoc efficere potest; non poterat Christus, cui Pater omnia dedit in manus, sua omnipotentia mutare panem et vinum in corpus suum etiam in momento et verbo uno? Nemo utique negabit hoc posse Dei Filium, quod potuit Spiritus sanctus incubans quasi aquis, exelsit inde omnia animalia, germina, et reliquas creaturas, ut habetur Gen. I. vers. II. *Spiritus Domini ferebatur*, (Hebr. *incubabat* velut avis super ova) *super aquas*; ut observant Sanctus Hieronymus, in quæst. Hebr. in Genes. Basilius et Diodorus. Plus dicam, Giraldus Cambrensis, in topographia Hiberniæ scribit in ulteriore Vetonæ parte aves plurimas velut in quietissimo loco nidificare; quarum ova S. Beatus, cujus ibi Ecclesia est, miro modo tuetur, ita ut si quis avium ova rapere vellet, mox videat conversa in pullos marcidos et rubros, quasi recenter exclusos; sin autem manum retrahat, videat rursus in ova commutatos. Cur igitur hoc non credamus fieri a Deo posse in eucharistia per verba consecrationis, ut panis in momento mutetur in corpus Christi.

III. Ovum vim cibi et potus habet. Unde scribit Plinius, lib. XXIX. c. III. *Nullus est alius* (præter ovum) *cibus, qui in ægritudine alat neque oneret, simulque vim potus ac cibi habeat*. Ita eucharistia tametsi sub una tantum specie, seu vini, cibati simul et potati, quia carnem et sanguinem Christi præbet, qui utique totus et integer sub utraque continetur; quia jam non moritur. Quare laici sub una communicantes nihilominus accipiunt quam sacerdotes sub utraque, nec minus reficiuntur. In cujus rei confirmationem plurima sunt miracula facta, quibus et speciebus consecratis et per injuriam læsis sanguis profluxit, uti pluribus in locis videre adhuc est. Accedit vaticinium Osee, c. XIV. ubi de fidelibus tempore Christi loquens ait: *Sedentes in umbra ejus* (Christi scilicet) *vivent tritico*. Quæ verba Septuaginta et S. Hieronymus vertunt, *bibent et inebriabuntur tritico*. Quomodo autem bibent et inebriabuntur tritico, nisi triticum vim potus simul et cibi habeat? In ovo albumen et vitellus est: in eucharistia corpus et sanguis Christi, sub quavis ejus specie: quid utramque desideramus?

IV. Ovum cibus est nutritivus et substantiosus, quasi vicem carnis retineans, teste Altman-

sor, lib. III, c. XIV. Maxime vitellus, qui idcirco a vita nomen habet, quod inde vivat pullus. Habet et virtutem restaurativam pectoris, ut docet Bercorius, in reduct. moral. cap. XIII. et c. XXV. Albumen cum viscosum sit, glutinis instar est. Pari modo eucharistia primo panis vitæ, quia non vitam gratiæ solam in nobis conservat et auget, sed etiam immortalem alteram gloriæ vitam per futuram resurrectionem confert, teste ipso Salvatore, Joan. VI. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Sicut enim efficax pharmacum a natura sumentis non vincitur, sed vincit illam et sibi assimilatur: et sicut mithridaticum a Mithridate Ponti rege quotidie sumptum in corpus ejus immutavit, ac contra venena obfirmavit, ut cum sibi mortem veneno inferre vellet, non posset: ita in eucharistia Christus, cum sit utique potentior nobis, non immutatur in nos, sed in se potius nos convertit, et in resurrectione conferet corpori nostro, novo quodam titulo, dotes gloriosas, propter illam conjunctionem in sumptione ejus factam, qua conjunctione post hypostaticam nulla major est. Quare dato quod ex vi gratiæ non haberemus immortalitatem seu resurrectionem, haberemus tamen ex vi sanctæ communionis, ut ex patribus docet Cornel. a Lap. in Joan. c. VI. vers. LV. Et quidem si corpus Elisei potuit suo contactu vitam restituere cadaveri sibi injecto, IV. Reg. XIII. quid mirum si corpus Domini a Verbo divino, quod est vera vita, hypostaticè assumptum, possit suo contactu mortuos in vitam revocare? Secundo, restaurat et confortat etiam pectoris vires perditas: ut jam animosi, quasi leones ignem spirantes dæmonibus videamur, contraque tentationes muniamur. Quod vel in duobus illis discipulis videre est, qui confortati eucharistia, jam inclinante ad occasum sole, adhuc regressi sunt celeri cursu per sesquimilliarium Germ. seu per tres horas usque Jerosolymam, pleni robore et lætitiâ. « Non enim fatigatione itineris prohibiti sunt, non vespertinæ horæ impedimentum timuerunt, sed eadem hora surgentes regressi sunt in Jerusalem, » inquit Haymo episcopus Halstad. in eum locum. Verisimile etiam est, præ gaudio eos cucurrisse toto intervallo, adeoque intra horam unam, viam alioquin trium horarum percucurrisse. Si enim Elias vigore panis subcinericii, qui teste glossa et Paschasio Pp. figura eucharistiæ fuit, ambulavit quadraginta diebus et noctibus usque ad montem Horeb, adeoque roboratus est, ut regi et reginæ, quos prius timuerat, postea insultaret, III. Reg. XIX. cur non poterat discipulos illos roborare panis ille a Christo eis porrectus

eucharisticus? Tertio, cum Christo novo et fortiori amoris glutine nos unit, et quasi in ipsum transfundit. Caro enim Christi in eucharistia non qua caro præcise, sed qua divinitati unita, facit, ut fiamus participes spiritus et divinitatis ejus. Quemadmodum ergo anima Jonathæ dicitur conglutinata fuisse animæ Davidis, per amorem scilicet intimum, I. Reg. XVIII. ita in eucharistiæ digna sumptione conglutinatur Christi anima nostris animabus.

V. Ova valde convertibilis sunt naturæ; inquit Bercor. I. cit. *convertuntur enim in complexionem, quam inveniunt sive bona fuerit, sive mala, et ideo sunt sana sanis, et inutilia infirmis*. Sic eucharistia, quæ etsi non convertitur in nos, pro subjecto tamen recipiente est vita bonis, mors malis: *Qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini*. Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi, ait apostolus, I. Cor. XI. vere et corporaliter intellige; sicut explicat Hieron. Ambrosius, Chrysost. et Ansel. qui addit etiam suo tempore propter indignam communionem post pascha multos infirmari et mori. *Panis hominem alit, accipitrem necat*, ait S. August. I. II. contra Manich. Sic eucharistia eos, qui ut homines ratione utentes, et dijudicantes corpus Domini accedunt, alit: qui vero ut accipitres, rapaces, sanguinolenti, superbi, interibunt. Appius Sausse scriba, cum a balneo domum reversus mulsum bibisset, ovumque sorberet, sorbitione extinctus est, teste Plinio, I. VII. c. LIII. Ita qui post admissam nec deletam peccati dulcedinem, v. g. pollutionem voluntariam, adeoque indigni communicarent, mortem sibi sumerent. Terribile est, quod refert Tilmannus Bredenbachus, collat. sacr. I. VII. c. LX. de Geusa quodam seu hæretico Hollandiæ, qui Noviomagi, anno 1561. in hac ipsa hodierna feria II. paschæ, videns eucharistiam deferri ad ægotam, illudens s. eucharistiæ transeunti, dicens: *Ego ovum istud* (paschale sibi appositum) *quod manu teneo, citius deglutivero, quam ægotans muliercula deastrum suum et dum devorat, ovo suffocatus est præsentem eo parochum, qui s. eucharistiam tulerat, et historiam divulgavit*.

VI. Populi sunt, qui tota vita ex ovis fere tantum aluntur (apud Ortel. in thesauro geog.) ad exitum Rhæni in oceanum, fuerunt etiam qui multo tempore sola eucharistia, pasti sine omni cibo viverent, uti Ludovicus Pius imp. 45. diebus; Fr. Nicolaus apud Helvetos annis 15. exemplo pene recenti S. Catharinæ Sennensis, ut testatur Pius II. in bulla canonizat. S. Liberalis, apud Petrum Natalem, I. IV. c. XCIII. Hos abbas

tribus annis, apud Palladium, in hist. Lansiaca, c. VIII. Niceph. I. XI. c. XIV. Joan. monachus apud eumd. Pallad. c. V. diutius sine alio vixit cibo; Horter in hebdomade, Joannes singulis diebus dominicis angelico pane dumtaxat reffectus. Plures referuntur a Bozio, lib. XV. de signis eccl. LVIII. c. II. Sigeberto in chron. anno 823. Orlandino, in hist. soc. libro II. et aliis. In quibus videtur ad litteram impletum fuisse vaticinium Osee, c. XIV. cit. *Sedentes in umbra ejus* (Christi videlicet ut ibi explicat Cornel. a Lapide) *vivent tritico*. Quod utinam de nobis et dici queat, ita saltem in vitam animæ, quæ est gratia Dei, conservemus ac tueamur digno ac frequenti usu ac generatione cælestis illius tritici. Fabulam Aulus Gellius, lib. II. noct. Att. cap. XXIX. refert de cassita, quæ inter medias tritici segetes nidum suum posuit, et ubi pullos exclusit, illic secure habitare et persistere, nihilque trepidare jussit, donec agri dominus falce armatus veniat et metere incipiat. Fabula hæc utinam in nobis verificetur! Quod fiet si et ipsi nidum, requiem et spem nostram colloquamus, et habitemus, adolescamus, vires sumamus, alas ac plumas acquiramus, et constanter vivamus in frumento electorum, et s. eucharistiæ tritico sæpius adorando, atque usurpando, quoadusque veniat Dominus cum falce sua, demessurus vitam nostram. Cassitam imitati sunt qui tam noctu, quam interdiu s. eucharistiam salutare, et ante eam procumbere in more deliciis habuerunt, uti credo ille Constantinopolitanus, nomine Zacharias, qui cum per singulas noctes templum, ad S. Sophiam dictum, precaturus ante summum altare ss. eucharistiam veneraturus accederet, visus est divina circumfundi luce, necnon adventanti fores templi divinitus reserari, iterumque recedenti claudi, apud Raderum in virid. ss. Eadem veneratione prosequerantur ven. sacramentum S. Thomas Aquinas, B. noster Aloysius, aliique, qui in eo requiem et nidum suum quærebant et inveniebant. Hos sequamur et nos auditores, neque imitemur illos, qui paschalia ova manibus solum tractant et aspiciunt, interim non comedunt, sed vel aliis donant, vel abiciunt. Ad usum et sumptionem datur nobis ovum istud: *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis. Relinquitte infantiam, et vivite, ambulate per vias prudentiæ*, ait Sapiëntia æterna, Dei Filius, Prov. IX.